

Werk

Titel: Libri Judicum et Ruth secundum versionem Syriaco-hexaplaorem, quos ex codice Musei

Autor: Rørdam, T. Skat

Ort: Havniae

Jahr: 1861

Kollektion: DigiWunschbuch

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN775231185

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN775231185>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=775231185>

LOG Id: LOG_0004

LOG Titel: Praefatio

LOG Typ: preface

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

Præfatio.

Veteris Testamenti secundum versionem Pauli Tellensis vel Syriaco-Hexapla-rem, ut vulgo dicitur, magna pars jam pridem edita est; desiderabantur ad-huc omnes libri historici, libro quarto Regum excepto. Offero jam tibi, Bene-vole Lector, libros Judicium et Ruth, haud ingratum subsidium per eos rei cri-ticæ versionis LXX interpretum accessurum sperans.

Codex, ex quo desumpti sunt hi libri, in Museo Britannico asservatur, in quod ex monasterio S. Mariae Deiparae Nitrensi advectus est. Continet tantum libros Judicum et Ruth, sed in eadem biblio theca extant libri Exodi, Numerorum, Deuteronomii, 1 Regum (h. e. 1 Sam.) et pars Geneseos, ut si hi libri editorem invenerint, magna incrementa captura sit notitia versionis Syriaco-Hexaplaris. — Quo anno scriptus sit codex, nulla subscriptione significatur, sed forma literarum nonum seculum referre videtur; hoc saltem pro certo statui posse puto, eum non post annum millesimum exaratum esse.

In codice folium unum deest versus 22—32 capituli primi libri Iudicium comprehendens, et in fine duo folia lacera sunt, ita ut nonnulla verba et literæ perierint, quæ tamen facile restitui possunt. Utrique libro præmissus est brevis conspectus argumenti et capituli (مختصر ملخص الكتاب) quem, quia mihi levis esse momenti visus est, non transscripsi. Etiam quæ in margine codicis aliquoties extant vestigia divisionis capituli et lectionum ecclesiasticarum*) omisi, quia in ipso codice negligentissime tractata sunt.

¹⁾ In libro Jud. ad cap. 2, v. 1 in marg. adscriptum est: حَتْ, ad 3, 5: حَتْ, et in libro Ruth ad 1, 1: حَتْ, ad 1, 3: حَتْ, 1, 7: حَتْ, 1, 15: حَتْ, 1, 19: حَتْ

In ipso textu saepissime picta sunt varia signa ejusdem fere generis atque ea, quæ proferunt *M. Norberg* (in præfatione Codicis Syr. Hex., quem edidit Lond. Goth. 1787) et *J. G. Hasse* (Libri IV Regum Syro-Heptapl. specim., Jenæ 1782, pag. 45), quod aperte eodem consilio fecit scriba noster atque illi, ut postea scholia reliquorum interpretum versiones continentia adscriberet. Hæc vero scholia quum omnino desint, ne illa quidem signa in editione protuli. Ipsum autem textum cum omnibus punctis diacriticis et interpunctionis et signis criticis Origenis quam accuratissime potui edidi*), nec quidquam in eo mutavi, quod non annotaverim**), nisi quod Ribuj, quod pronomini ←→ et numeralibus interdum adpingit scriba, interdum omittit, ego regulas secutus *Barhebraei**** semper omisi, nisi super numeralia cum suffixis conjuncta et feminina ab XI ad XIX, quibus, etiam ubi defuit, Ribuj adpinxi. Quod ad emen-

2, 1: o. Lectiones ecclesiasticæ in lib. Jud. tantum adscribuntur; sic ad 5, 1, ubi in
textu præmittitur **لِكَفْلَةٍ** o: Dominicæ palmarum (hoc unico loco ejusmodi res inseritur),
in marg. adscriptum est: **لَكَفْلَةٍ** o: lectio trigesima sexta versiculos continens
CCCC: sed plerumque aut lectionis aut versiculorum tantum numerus notatur.

^{*)} Quæ dubia in apographo meo inter elaborandum mihi occurrerant, cum codice conferenda amicus A. X. Bleek Londinensis benevolentissime suscepit, cuius rei lubenter occasionem arripi ut publice ei gratias agam.

^{**)} Plerumque quæ correci in notis commemoravi; interdum tamen quod in textum inserui brevitatis causa parenthesi () tantum inclusi, qua re designatur, id in codice non extare.

***¹) Liber Splendorum, Lib. IV. cap. V, sect. 2 fin. (Cod. Mus. Brit. Add. 7, 201 fol. 241):
 مقتباً مكتبة مكتبة مكتبة. أبو قيس ملائكة أدينا كهذا. كلٌّ ينفع
 مذهب مذهب. مذهب مذهب مذهب. أبو قيس يكتب لشأنه ما. مذهب مذهب
 مذهب مذهب. أبو سعيد مذهب ما. مذهب مذهب جهذا مذهب
 مذهب مذهب. — Et ib. Lib. I, cap. XVIII, sect. 2, (cod. Mus. Brit. f. 77
 recto, sq.): مكتبة مكتبة مكتبة مكتبة. كلٌّ ينفع
 مذهب مذهب. أبو قيس مكتبة مكتبة مكتبة مذهب
 مذهب. — Si quis operæ pretium esse contendet, etiam irregularitates, quae
 in codicibus Syriacis occurrunt, cognoscere, et eam ob causam Ribuj retineri volet, eum
 ad eas partes versionis Syr. Hex., quæ hactenus sunt editæ, allegabo; ibi satis ejusmodi
 irregularitatum inveniet.

dationes meas attinet, o otians afformativum plurale masculini, ubi desiderabatur, addidi, non → afform. feminini, quamquam contendunt grammatici nostri *), hæc afformativa utraque promiscue scribi et omitti; nam *Barhebraeus* **) → femininum quidem a scribis occidentalibus antiquioribus (cum quibus nobis agendum est) omitti dicit, o non item, unde omissionem hujus pro mendo scribæ habui.

Plurimis laborat mendis codex, ut fieri solet, in signis criticis Origenis; paucis tantum locis Metobelus adpingitur, saepissime signum, de quo agitur, in margine pictum est, quamquam manifesto ad verbum vel verba in media demum linea refertur, et multis locis signa perversa afferuntur vel omnino desiderantur. Hæc quantum potui emendavi; non tamen, quod fecit *Middel-dorp* in editione libri quarti Regum, quæ desunt verba in textu Hebræo, Obelo expunxi, nam nobis de re critica Origenis tantum agitur, quæ via historiæ disquirenda est, non nova instituta comparatione textus Hebræi et LXX interpretum; sed tantummodo ubi in codice aliquo Graeco signum criticum remansit, quod in versione Syriaca deest, hoc in textum introduxi. Signa critica, quæ in nostro codice occurrunt, sunt Asteriscus (※), qui verba ex reliquis interpretibus inserta denotat, Obelus (—), qui verba a reliquis interpretibus non allata expungit, et Hypolemniscus (~), quo sub signo Origenes varias lectiones vel versiones variorum codicum versionis LXX inserebat. Præter hæc tria ego non raro, plerumque loco Asterisci, Lemniscum (~)*** in textum intro-

^{*)} cfr. Hoffmann, Gramm. Syr. § 53, 4. Idem H. Thorndicius dicit in præmonitione ad var. lect. Bibl. Syr. (Bibl. Polygl. Londin. Tom. VI): „Monendus est lector, in personis verborum, in quibus ○ masc. plurale vel → fem. sing. sive plurale retinetur, sine discrimine ○ et → apponi vel omitti solere ab eis, qui codices Syriacos scribunt“.

*) Lib. Splend. Lib. IV. cap. V, sect. 2 (Cod. Mus. Brit. f. 240): قَدْ لَقِيَ مَكَانًا
 حَلَّا بِجَنِيدَةِ مَدِينَةِ صَفَنَةِ مَدِينَةِ سَبَرَةِ مَدِينَةِ بَلَهُ مَعَ مَدِينَةِ مَعَنَةِ
 اَوْ مَدِينَةِ فَحَصَّ بَحَصَّ لَا (مَدِينَةِ تَقَهَّنَةِ) صَحَّاتِ بَحَثَّةِ صَفَنَةِ
 مَدِينَةِ فَحَصَّ. Ex his verbis manifestum est, Barhebræum omissionem o omittentis non
 agnoverisse.

***) Nomina Hypolemisci et Lemnisci signis \bowtie et \bowtie tribui *Masium* secutus (Josvæ imperatoris hist. Antwp. 1574. p. 123).

duxi, cuius signi vis fere eadem est atque Hypolemnisci*). Occurrit quidem non raro signum ∞ , sed semper supra vocem ad scholion marginale de legans (vid. notam ad Jud. 6, 32), unde fortasse colligere possis, id in versione Syriaco-Hexaplari non fuisse pro nota critica usurpatum, sed ejusmodi sententiae obstat, quod *Masius* I. l. diserte commemorat, hoc signum in suo codice extitisse (in editione \div pingit), et idem de cod. Ambros. Mediol. affirmat *Norberg* in præfatione Codicis Syro-Hexapl. Lemnis cum in textum Syriacum inse-

*) Ex versione Syriaca non patet, *utrum* discrimen inter Lemniscum et Hypolemniscum id sit, quod tradit *Epiphanius* (de mens. et pond. cap. VIII), Lemniscum versionem aliam testimonio plurium, Hypolemniscum vero versionem pauciorum codicum testimonio confirmatam introducere (sic enim sine dubio intelligenda sunt verba Epiphanii, ut recte divinavit *Masius*, Josvæ imp. hist. p. 123), *an id*, quod statuit *Isidorus Hisp.* (Orig. I. 20), Lemniscum apponi iis locis, quæ S. Scr. interpres eodem sensu, sed diversis sermonibus transtulerint, Hypolemniscum (vel Antigraphum) vero, ubi in translationibus diversus sensus haberetur. Manifestum enim erit, in locis permultis ex arbitrio fere pendere, *utrum* versiones diversum *an* eundem sensum habere dicas. Sed hoc indubitate ex traditionibus veterum de usu horum signorum appetat, sub utroque signo variam lectionem vel versionem variorum codicum ab Origene insertam (vel in margine saltem positam) fuisse, quod idem de Hypolemnisco probat versio Syr. Hex., cfr. Jud. 3, 24, 5, 22. Jer. 1, 8. 47, 1. Ezech. 13, 22. Sed dolendum est, quod *Middeldorp* in Codice Syriaco-Hexaplari, quem edidit (Berol. 1835), omne discrimen inter Obelum et Lemniscum et Hypolemniscum delevit, omnia hæc signa pingendo ∞ , quod signum perrarum est (ut ex *Hassii* specim. libri IV Regum et *Brunsi* Curis hexapl. in libr. IV Regum, in Repertorio Eichhornii, Tom. VIII. IX. X, appetat) nec unquam, ut opinor, in versione Syr. Hex. pro Obelo fuit usurpatum (cfr. *Hasse* l. l. p. 44). Ipse etiam *Bugatus*, quamquam affirmat (præfat. in Danielem, p. XXVII), se nihil omnino, ne errata quidem, in codice edendo immutasse, in editione Danielis saltem signa critica negligentius tractavit (vid. *Michaelis*, Neue Orient. Bibl. VI, p. 192). Quod nisi fecissent illi viri, nulla dubitatio est, quin nunc certiora hac de re proferre possemus. (*Norberg* in præfatione Codicis Syr. Hex. nomen Obeli signo ∞ tribuit, sed hoc errore fit; nam nunquam ∞ in iis libris, quos edidit, occurrit, et Obelum signum fuisse frequentissime in Hexaplis obvium, quis ignorat? Non dubito, quin nomen Obeli transrendum sit ad signa \div et — , quæ Lemniscum et Hypolemniscum nominat. Nomen Lemnisci quidem Jer. 27, 18. not. t. signo \div tribuitur, sed suspicor formam signi a Norberglo vel typotheta immutatam esse; nam \div (Ezech. 21, 4. not. d) et — (4 Reg. 15, 5. not. c, cfr. *Brunsi* Cur. hex. in. Repert. X. p. 65) diserte nomine Obeli insigniuntur, et utrumque signum plerisque locis sine ulla dubitatione vim Obeli habere putandum est, (cfr. Jer. 4, 29. 7, 4. 8, 7. 21. 9, 1. 14, 22. 26. 17, 23 sæp.).

rui, ubi nullum signum criticum in eo extabat, si codex aliquis Græcus eum exhibebat. Sed plerumque ubi editio mea Lemniscum exhibit, codex Asteriscum habebat, quem in Lemniscum corrigebam, ubi verba, de quibus agebatur, in textu Hebraico non leguntur, sed aliam versionem verborum Hebraicorum jam translatorum continent. Interdum quidem vocem vel enuntiationem Lemnisco notavi, quæ merum additamentum ideoque Obelo notanda esse videri possit (sic Jud. 4. 9. 20. 6, 27. 11, 23. 15, 18. 16, 11. 21 al.), sed hoc bene cum usu Lemnisci conciliari potest, si tale additamentum in aliis codicibus versionis LXX extabat, in aliis deerat. In omnibus vero illis locis etiam aliæ aderant causæ, quæ ut Lemniscum Obelo præferrem impellerent. Primum querendum erat signum, cuius forma similitudinem quandam cum Asterisco præberet, ita ut per eam scriba usus ejus ignarus facile ad permutationem signorum invitaretur; hoc vero multo magis de ☩ quam de — (vel ÷) valere, non facile quisquam negabit. Deinde non raro talibus locis codex aliquis Græcus Lemniscum exhibebat; denique, quod maximi est momenti, Obelus ea verba expungebat, quæ in versione LXX, non autem apud reliquos interpres occurrabant, unde in iis codicibus, qui textum »vulgatum« præcipue exhibent, imprimis querenda sunt verba Obelo notata; quo quum accedat, ut hæc verba, quod vel mediocris notitia codicum Græcorum nos docet, etiam in hexaplaribus codicibus perraro deleta sint, necesse est in codicibus plerisque reperiantur. Sed ea verba, quæ Lemnisco notavi, semper in codicibus perpaucis*) et iis quidem hexaplaribus leguntur; inde igitur manifestum est, ea ab Origene Obelo non fuisse notata, itaque nullum signum nisi Lemniscus restat, quo pro Asterisco utamur. Ea causa, quam postremo loco attuli, etiam sufficiet ut defendat, me interdum Obelum in Lemniscum correxisse.

Textui Syriaco versionem Græcam adjunxi, qua re eum textum Græcum restituere studui, quem Paulus Tellensis in vertendo ante oculos habuit. Constat quidem eum non multum ab illo differre, quem exhibit cod. Alexandrinus cum iis codicibus, qui hunc sequi dicuntur (et editionibus Complutensi

*) Sunt hi codices fere semper sex, qui ab *Holmesio* insigniti sunt numeris 54. 59. 75. 84. 106. 134; ad eos plerumque accidunt 44. 76. 82. 128, rarius *Alex.* (III), *Sarrav.* (IV), 19. 58. 108, lect. marg. codicis 121 et editt. *Compl.* et *Ald.* Codices iidem sunt, qui verba Hypolemnisco notata exhibere solent.

et Aldina), quibus idcirco brevitatis causa nomen *hexaplarium* tribui (omissa ea distinctione inter textum tetraplarem, hexaplaem et Luciano-Hesychianam, quam fecit *Holmes*, præfat. in Pentat., cap. I, 11, nam comparatio cum versione Pauli Tellensis luculenter demonstrat, eam retineri non posse, cfr. etiam *Hävernick* Einleit. I. 2, p. 57 s.); sed sicut hi ipsi codices locis permultis inter se differunt, et fere omnes plus minus cum textu »vulgato« permixti sunt, ita nullus est codex, qui non multis locis a Syro discrepet, et idcirco operam me perdidisse non puto, quam in textu Græco restituendo impendi; vix enim multum erramus, si eum omnium accuratissime textum hexaplaem Origenis præbere putamus.

Ut vero hanc restitutionem textus Græci instituerem, primum omnium necesse erat eas regulas invenirem, quas in vertendo secutus est Paulus Tellensis. Quod nisi ita fecisset, fieri non posse videbam, quin maxima incertitudine laboraret versio mea; videbam præterea, eos, qui hucusque versionem Syriaco-Hexaplaem Græce vertere conati sunt*), tam negligenter rem egisse, ut qui eos sequeretur permultis locis in errorem incurrere necesse esset. Eiusmodi regulas jampridem quidem *Plüschke* (I. l. pag. 17 ss.) protulit, sed tam generaliter rem instituit, ut fere quivis linguae Syriacæ peritus, versione Syr. Hex. nunquam inspecta, tales regulas proponere possit, quæ vero peculiaria sunt vel difficultatem efficiunt in hac versione, obiter tantum vel prorsus non ab eo commemorantur. Denuo igitur necesse erat regulas investigarem, cujus investigationis fructus in Dissertatione præliminari proposui. Ne-

*) Primus omnium hoc fecit *Masius* (Jovæ imperatoris hist. Græce, Antw. 1574 fol.) recte perspiciens, versionem Syr. Hex., si res critica per eam esset juvanda, Græce esse vertendam. Sed quum textus Syriacus ejus hucusque deperditus fuèrit, et codex libri Jovæ, qui in Museo Britannico asservatur, nondum sit editus, ejus versionis a nobis nulla ratio haberi potuit. Unus tantum idem quod nos facere conatus est, versione Græca textui Syriaco adjungenda, *J. G. Hasse* (Libri IV Regum Syro-Heptapl. Specimen, Jenæ 1782. 8vo). Partes majores vel minores passim translatæ sunt a *G. L. Spohn* (Jeremias vates ex vers. Judæor. Alex. Lips. 1794—1824. 8vo), *P. J. Bruns* (Curæ hexaplares in librum IV Regum, in Repertorio Eichhornii, Tom. VIII, IX, X), *G. Tb. Lo.* (Zu den Hexaplen, ib. Tom. XV.), *C. Bugato* (Psalmi secundum edit. LXX Syriace, Mediol. 1820. 4to), *J. T. Plüschke* (De Psalter. Syr. Mediolan., Bonnæ 1835. 8vo), *H. A. Hahn* (*Δανιὴλ κατὰ τοὺς Ἐβδομηνούς*, e cod. Chisiano, Lips. 1845. 8vo), et imprimis ab *H. Middendorf* (Codex Syriaco-Hexaplaris, Berol. 1835. 4to).

que tamen in regulis proponendis id egi, ut omnia irregularia in versione Syr. Hex. obvia percenserem, quorum permulta mera menda videntur scribarum, hoc enim nimis longum esset opus; sed regulas generales protuli cum exceptionibus gravissimis et sæpius obviis, quibus imprimis versio librorum a me edendorum defenderetur. Neque tanta arrogantia sum, qui hoc ita prospera mihi cessisse credam, ut nihil desit commemoratione dignum, nec quidquam sit dictum quod emendatione non egeat, sed spero fore, ut viri harum rerum periti his conatibus indulgent, tanto magis, quod ante me nemo hoc ita fecit, ut mihi aliquod subsidium afferret ad regulas inveniendas.

Neque tamen definitis regulis grammaticis, quas secutus est Paulus Tellensis, res peracta erit; etiam necesse est accurate constituere, quomodo singulas voces vertere solitus sit. Sed hoc definire novum lexicon Syriaco-Græcum esset conscribere, quod operæ pretium illud quidem esset, sed multo fines dissertationis excederet. Hac de re ideo mihi tantummodo est dicendum, me nullam vocem in versione Græca posuisse, de qua non accurate disquisiverim, num voci Syriacæ, de qua ageretur, responderet.

Jam si regulas in Dissertatione propositas examinaveris, manifestum tibi erit, non paucas formas et constructiones Græcas Syriace eodem modo verti, sicut etiam multæ sunt voces Græcæ, quibus eadem vox Syriaca respondeat. Hoc quidem efficit, ut nunquam ita restitui possit textus Græcus Pauli Tellensis, ut omnis dubitatio tollatur, neque tamen res desperanda est, nam via satis tutæ ejus constituendi ea erit, ut in talibus locis lectio codicum hexaplarium ei præferatur, quam præbent codices reliqui, et si inter duas vel plures lectiones codicum hexaplarium sit eligendum, præferatur lectio eorum codicum, qui ut plurimum cum versione Syriaca consentiunt*). Ne tamen quis dicat me leviter in hac re egisse, plerumque in notis annotavi, textum Syriacum aliam etiam lectionem permittere. Hoc tantum brevitatis causa

*) Proxime ad eam accedunt ii codices, qui ab *Holmesio* numeris 19. 108 et IV (Ch. e. cod. *Sarrav.*) notati sunt, et ille codex *Escurialensis* (v. III. 5), cuius varias lectiones a *Moldenhawero* excerptas se ad editionem Holmesianam adhibere non potuisse dolet *Parson* (præfat. ad librum *Judicum*), sed ego fere integras inter schedas Moldenhaweri in bibliotheca Regia Havniensi asservatas deprehendi et passim in notis nomine *Esc.* laudavi. Secundum locum post illos tenent codd. 54. 75. 84. 106. *Alex.* et edit. *Complut.*

omisi, ubi in eodem verbo optio facienda erat inter Perfectum et Aoristum; inter Aoristum primum et secundum; inter Coniunctivum, Optativum, Futurem et Imperativum prohibitivum et tertiae personae; inter Imperativos omnium temporum; inter Activum et Medium activae significationis; ubi idem nomen in variis codicibus non mutata significatione varii erat generis (ut ὁ et η Βάσαλ), et ubi eadem praepositio in variis codicibus cum vario construebatur casu non mutata significatione fundamentali (ut ἐπί et πρός c. Gen. Acc. Dat., παρά c. Dat. et Acc.), item ubi eligendum erat inter voces quasdam synonyms frequentissime obvias, quae Syriace semper per eandem vocem vertuntur, scil. οἰκια and οἶκος; σκῆνος and σκήνωμα; κακός and πονηρός; κακία and πονηρία; ἀκούω, εἰσακούω and ἐπακούω; ἀπαντάω, συναντάω and ὑπαντάω cum substantiis derivatis; ἀναστρέψω, ἀποστρέψω, ἐπιστρέψω and ὑποστρέψω cum subst. deriv.; ἀπέχομαι and πορεύομαι; ἀναγγέλλω and ἀπαγγέλλω, ἀποστέλλω and ἔξαποστέλλω; ἔρχομαι and παραγίνομαι; ἐμπίμπομι et ἐμπινδίζω; ἔναντι, ἔναντιον et ἐνώπιον; ἐν et ἀπό; σύν et μετά; οὐ, μή et οὐ μή; quibus enim vel mediocriter in hac versione versatus, talia Syriace distingui non posse, facile intelliget. Item ad nomina propria, quae plerumque in codicibus Graecis diversissime scribuntur, saepius nihil annotavi, si aliae formae praeter eam, quam in versione attuli, legi possunt. Quum enim Paulus in nominibus propriis scribendis plerumque versionem Peschitam sequatur, manifestum est, ex ea forma nominis, quam exhibet versio ejus, ut plurimum nihil definiri posse de forma, quam exhibuerunt Hexapla vel codex ejus Graecus. Ubi vero ab ea forma, quae in Peschita extat, discedit Paulus, hoc annotavi, ut appareret, quamnam formam in codice suo Graeco legerit. Ubi ex textu Syriaco certo definiri non potest, utrum vox aliqua in Graece ponenda sit necne (quod imprimis de Articulo et Praepositionibus valet), talem vocem typis minoribus exprimendam curavi.